

Ernestus Werphulus Hermannus Clausingius

Disputatio Physica De Elementis Cum In Genere, Tum In Specie

Rostochii: Myliandrus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729128008>

Druck Freier  Zugang



F. Werphalus. Clausung H.
R. U. phil. 1611



Disputatio Physica
 DE
ELEMENTIS
 CUM IN GENERE,
 TUM IN SPECIE.

Quam
 SVB PRÆSIDIO
M. ERNESTI VVERPHVLII
Regimontani Marchici.

In Inclÿta Academia Rostochiana

Consensu Amplissimæ Facultatis Philo-
 sophicæ,

Publicè examinandam proponit

HERMANNUS CLAUSINGIUS
 Hervord. VVestphalus.

Ad diem 22. Junij hora 6. matutina,
In Auditorio majori.



ROSTOCHII
 Ex Typographia Stephani Myliandri
 ANNO cl̄o l̄o CXL.



VIRIS

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

Dn. GULIELMO LAURENBERGIO,

Philosoph. & Med. D. & Profess. publ. Academiae
Rostochiensis Rectori Magnifico;

Reverendo & Clarissimo,

Dn. EILHARDO LUBINO,

SS. Theol. Doct. & Professori pub.

Dnn. Præceptoribus & Hospitibus
unicè colendis;

Nec non.

Clarissimis & Consultissimis Viris,

Dn THOMAE LINDEMANNO,

J. U. D. & Profess. pub. præstantissimo.

Dn. HENRICO BERGMANNO,

J. U. Licentiato eximio.

Dnn: *Mæcenatibus & Popularibus*
honorandis.

*Philosophicam hanc Αἰδέξιν in gratam mentis
& observantis τιμῆρον submissè offert*

HERMANNUS CLAUSINGIUS

Autor.



THESIS I.



Um Elementa non tantum sint nutrices nostrorum corporum, ut & omnium rerum corporatarum, teste Aristotele lib. 2. de gen. & corr. cap. 8. (Vnde etiam Elementa quasi Alimenta ab Alendo nomen sortita videntur) Sed materiam etiam praebeant, Non videbimur παρὰ τὸ ἐγγὺν facere, si φιλοσοφικὰν de illis instituamus.

2. Ut autem in argumento propositio progredi possimus commodius *Mystagogum* sequemur Aristotelem ac primò ipsa Elementa definiendo in genere explanabimus, deinde in specie *ἑνὸς* quaedam, qua singulis Elementis aliquid lucis allatura videbuntur, decidemus.

3. Elementum ita definit Aristoteles lib. 3. de caelo cap. 3. τ. 31. ἔστω ἡ τὸ σπικεῖον τῶν σωμάτων, εἰς ὃ τὰ ἄλλα σώματα διαίρεται, αὐτὸ ἡ ὄντι ἀδιαίρετον εἰς ἕπερ τὰ ἄλλα, hoc est, Sit igitur Corporum Elementum in quod cetera corpora dividuntur, ipsum autem in ea, qua specie differunt, indivisibile.

4. Dicit Aristoteles Corporum Elementum, quia Elementum multifariam sumitur, ut constat ex ijs, qua docet lib. 5. *Metaph.* cap. 3. Sunt enim Elementa scientiarum, & Demonstrationum, Elementa literarum, Elementa naturalium rerum & c. *Conimb.* super cap. 3. lib. 3. de Caelo.

5. Quia etiam Elementa non sunt ex alijs corporibus composita licet sint ex materia & forma facta, qua non sunt corpora, sed corporum principia, dicuntur Elementa in ea, qua specie differunt indivisibilia.

6. Non enim possunt dividi in partes, qua specie differunt, sed quaecunq; pars minima Ignis est Ignis, & quaecunq; pars mi-

nim: Terra est terra: Id verò in mixtis non semper ita procedit. Sicuti enim adificium, quod est mixtum artificiale, dividi potest in lapides, ligna, calcem: Ita & Animalis corpus in Humores, Spiritus, carnes, venas, nervos, & ossa dividi potest, quae diversa sunt materia, & speciei. Joan. Mag. lib. 3. Physiol. peripat. cap. 1.

7. *Verum quod in Elementa resolvantur mista, dubium alicui movere posset, cum corpus humanum dividatur in carnem, ossa, venas, & Arterias. Sciendum igitur quanquam quaedam naturalia corpora in sui corruptione non statim in Elementa abeant, sed in alias formas vicissitudine quadam mutantur: tamen haec ipsa tandem post extremam mutationem in Elementa ex quibus constant, resolvuntur. Idem Ibidem. pag. 165.*

8. *Quia etiam providissimus rerum humanarum gubernator Deus, prudentissimè Elementa sic disposuit, ut animantium, & maximè Hominum usui inservirent, vix ullum datur ita purum, ut non sit qualitate aliena infectum, praesertim ea Elementa quae apud nos sunt, & quae Elementorum nomine appellamus. Aristoteles lib. 2. de gen. & corr. cap. 3. t. 20. Goclen. lib. 3. disp. 1. Titelm. in Compend. Philos. natur. lib. 5. cap. 18. Magirus lib. 3. Physiol. cap. 1. Dissentit Johan. Bodinus lib. 2. Theat. Nat. p. 142.*

9. *Sic Terra praeter metallicas concreciones, quas gremio suo cohibet intra cavernas magnam aëris copiam, magnam item vim passim scaturientium aquarum includit, atq; multis in locis Ignes, quorum alij latent, alij erumpunt: Item aqua multum terrena commixtionis continet: Similiter Aër, maximè terre vicinus, praeterea utrumq; horum Elementorum vaporibus & fumis scater. Conimb. in Tract. problem. de rebus ad Elementa pertinentibus. sect. 1.*

10. *Propter hanc Impuritatem unum Elementum in aliud (non tamen totaliter, sed secundam partes, alioquin enim destrue-*

destruerentur) potest transmutari, ut disputat Aristoteles lib. 2. de ortu & inter. cap. 4. t. 25. & lib. 3. de Cælo cap. 6. Zabarella in lib. de const. S. N. Magirus lib. 3. Physiol. c. 1. Titelman. lib. 5. Compend. Phys. cap. 11. & 12.

11. Facilius autem invicem transmutantur Elementa, quæ sunt vicina, hoc est vicina, quæ habent similem qualitatem. Hinc aër in aquam facile controvertitur, quod sæpius in Hypocaustis calidioribus ad fenestras videmus. Cum etiam calor aquam separavit, & humore inflatus dissolvit, aqua in aërem convertitur, teste Philosopho lib. 2. de Ort. & Inter. cap. 4 t. 25. Magirus dicto loco.

12. Certam & præfixam figuram Elementis (quia unumquodq; eorum undiq; extremitatem rei, cui jungitur, contingit, & ad illius figuram se accommodat) denegat Aristoteles lib. 3. de Cælo cap. 8. t. 67.

13. Cum tamen circulari corpore, quod est Cælum, & circa centrum contineantur, atq; totum universum globosum sit, aquam fuit Elementa, primarias illius partes, eandem formam suo modo sortiri, Conimb. super c. 8. lib. 3. de Cælo. Scaliger. exercit. 105. sect. 2.

14. De numero Elementorum discrepantes fuere Philosophorum sententia, ut constat ex lib. 3. cæli cap. 3. 4. & 5. Quidam enim ante Aristotelem infinita statuerunt, ut Anaxagoras, Democritus, & Leucippus: Quidam unum ut Thales Milesius qui Aquam, Anaximenes qui Aërem, Heraclitus qui Ignem, Anaximander qui corpus aliquod aquâ tenuius, & aëre crassius Elementi loco posuit. Vide. d. l. Aristotelem.

15. Sed quod sint quatuor Elementa: Ignis, Aër, Aqua, Terra, nec plura, nec pauciora post Hippocratem Plato, & Aristoteles, & utriusq; schola sectatores statuerunt: quem numerum quaternarium Aristoteles firmis rationibus munivit in libris de gen. & corr. & passim alibi.

lib. 1. p. 12. de quibus supra est factum de similibus
dinem, qui in quatuor Elementis consideratur, propter sensus
crassitiam destruere quid aliud est quam ad nostram angustiam
divinae potentiae & sapientiae amplitudinem constringere? Titel-
man. lib. 7. Compend. Physici cap. 3.

24. Esse Ignem Elementum absolute sive primum cali-
dum testatur prater experientiam Arist. lib. 2. Metaph. c. 1. Ubi
haec verba habentur: Ignis est calidissimus quod ceteris caloris
causa est, lib. 2. de gen. & cor. c. 3. t. 21. Item Scalig. exer.
23. s. 1. Zabarella cap. 8. de Motu Ignis, Goclen. Disput. 5.
lib. 3. Diss. Phys.

25. Quod verò Terra sit Igne siccior, id ex naturâ siccitatis
facile patet. Siccum enim est quod suo termino facile continetur:
Terra itaq; quae suo facile terminatur termino, Igne arguitur
siccior, quia ad alterius rei figuram facile sese componit.

26. Quari autem posset cur dicamus. Ignem levissimum
cum etiam in intimis terra cavernis delitescat? Respondemus
levissimum sursum rectâ lineâ rapi nisi corpore densiori aut alia
vi prohibeatur, aut universitatis incolumitas gravia sursum e-
rigat, levia deorsum deprimat: Nec Ignis in cavernis delite-
scit, nisi pabulo retineatur. Bodinus lib. 2. Theat. pagin.
147. & seq.

27. De proprio etiam hujus Elementi loco quari solet.
Sed Naturalem ignis locum supra Aërem esse suadet inter alia
flamma in superum locum evolutis conatus, Unde Manil.
lib. 1. Astron.

Ignis ad aethereas volucer se sustulit auras
Summaq; complectens stellantis lumina mundi
Flammarum vallo naturae mœnia fecit.

28. Proximum ab Igne locum tenere Aërem ostendit
ejus levitas, siquidem illa nulli Elemento praterquam Igni &
aëri competit.

29. Aër est Elementum moderatè calidum & humidis-

*simum in se non
dedit igni, ut ager in punctis
puro.*

11. *Ubi dicitur a ...*
in specul. imp. Tet. velle. in ...

12. *dicat* *simum* complens omnem locum nullo alio corpore repletum, A-
no pape ristoteles lib. 2. de gen. & corr. cap. 3.

13. *Coniungit* 30. Dicimus Aërem Elementum moderatè calidum, &
subitè ...
id. Prut. non calidissimum, quia sub Igne suum tenet locum, & sic à Spha-
Prut. non ris cœlestibus nonnihil recedit, à quarum motu caliditatem et-
Prut. de no jam Elementa videntur accipere, Arist. 1. Meteor. cap. 3.

14. *Cardano* 31. Nec adstipulamur Joanni Bodino, qui Aërem dicit E-
repleat ...
in p. ... lementum frigidissimum dicto lib. pag. 156. Argumenta ipsius
Prut. p. ... in congressu diluemus, Nec Cardano qui idem, teste Scaligero,
Prut. p. ... exerc. 23, & 74. s. 6. statuit,

15. *Humidissimam* 32. Humidissimam dicimus aërem propter summam qua-
litatem, quam cuilibet Elemento inesse docet. Arist. lib. 2. de
gen. & corr. cap. 3.

16. *Arguitur idem ex humiditatis definitione: Humidum*
enim est quod suo Terminò difficulter continetur. Quia igitur
aër suo terminò difficiliter continetur quàm Aqua, Aër erit aquà
humidior, atq; sic Elementum humidissimum.

17. *Quod verò aqua magis humectat quàm aër inde est,*
quia aqueus humor cum crassiori materia est conjunctus quàm
humor aëreus. Physicæ autem qualitates, quò in crassiori harent
materia, eò sensibilibus agunt, & patiens vehementius affi-
ciunt. Hinc ferrum candens magis urit, quàm flamma
candens.

18. *Quemadmodum etiam nullum Elementum adeò pu-*
rum esse supra innuimus quin aliquid vicinorum habeat ad-
mixtum: Ità Purus Aër an alicubi inveniatur valdè du-
bitamus.

19. *Porro quia aëris Temperamentum semper aequale*
non est, propter situum diversitatem variamq; à cœlo distan-
tiam Aër in tres partes seu regiones, Supremam, Mediam, &
Infimam distinguitur. Arist. lib. 1. Meteor. cap. 3. Zabar. in
lib. de regionibus Aëris cap. 1. Goclen. lib. 3. disput. 6. & 7.
Magir. lib. 3. c. 3. Dissent. Danaus in tract. 2. dici. Disse-

37. Differunt hæc regiones tum Quantitate, tum Quali-
tate. Zabar. ibid.

38. Quantitate, quia suprema omnium est maxima, ean-
demq; semper & immutabilem quantitatem servat, certis suis
limitibus contenta. Zab. d. l. Goclen. ibid.

39. Media & infima multò minorem molem obtinent, &
eam non semper eandem, sed modò majorem, modò minorem:
Æstivo enim tempore infima regio major est, minor Media, con-
trà Hyeme infima minor, major Media. Zabar. d. l.

40. Solares radij in causa sunt: Infima namq; regio à me-
dia distinguitur, ubi radij repercussì à terra desinunt. Hi autem
estate, quando ad angulos rectos terram percutiunt, vehemen-
tius ad superiorem locum resiliunt adscendant: Hyberno ve-
rò tempore quando obliquè admodum terram percutiendo debi-
lem faciunt ictum, & debilem reflexionem, ad parum sublimem
locum adscendant. Hinc fit ut accrescente æstivo Tempore,
infima, decrescat media: & accrescente, hyberno tempore, me-
dia, decrescat infima regio, Zabar.

41. Qualitatibus etiam differunt: Suprema enim regio
propter viciniorum cæli motum, & Ignem vicinum, calidissima
est, Arist. lib. 1. Meteor. c. 3.

42. Media, tum, quia est remotior à cælesti motu, tum
quia radij solares, qui refringuntur, ad eam non perveniunt,
semper est frigida. Arist. ibid. Zab. d. l. Conimb. in lib. Met.
Arist. tract. 1. cap. 2.

43. Non est etiam improbabile, quod quidam inquit,
initio Mundi injectum fuisse à Deo aëri in media regione fri-
gus ad faciliorem gignendorum Imbrium commoditatem. Co-
nimb. d. l.

44. Infima regio calida est, sed non semper aequè calida,
sed modò magis, modò minus, pro temporum & locorum diver-
sitate. Arist. ibid. Gocl. & Mag. d. l.

B

45. De

45. De leuibus seu superioribus Elementis brevissimè, ratione instituti nostri hæctenus: Gravia seu Inferiora Elementa sunt Aqua & Terra, quia recta linea deorsum tendunt.

46. Aqua est Elementum frigidissimum & humidum, terram interfluens, non totam cooperiens.

47. An Aqua sit Elementum absolutè frigidum, controversatur inter Physicos acriter. Zabarella lib. 2. de qual. Element. c.1. probabiliter negat, cui astipulari videntur. Joannes Magirus & Goclenius in disputationibus Physicis, quamvis modò affirmant, modò negent, quod mirari possis: Nos exercitij gratià cum Arist. lib. 2. de gen. & corr. cap. 3. t. 21. § 23. Scaligero ex. 23. § 74. s. 6. Conimb. in lib. Meteor. Aristot. Tract. 1. c. 2. affirmativam tueri annitemur, Clarissimorum illorum virorum Auctoritatibus nihil derogantes.

48. Porrò statuimus Aquam esse humidam ex Humidi definitione: Difficiliter enim proprio suo termino continetur. Ex vase enim effusa figuram non servat, sed in omnes partes diffluit: Nec tamen assentimur Bodino, qui in Theat. suo pagin. 182. Aquam Elementum humidissimum asserit: Summam enim humiditatem Aëri superius rectè attribuimus.

49. De loco & figura Aqua Philosophorum contentio est. Quamvis autem difficile sit aliquid certi hinc determinare, Dicimus tamen Aquam non ità ambire Terram, ut Ignis aërem, & Aër globum Terrenum, Sed cum Ptolomao, Terram unà cum Aquis mutuo & aptis vicibus distincto complexu, unum globosum corpus constituere arbitramur. Hinc dicimus in definitione, quòd terram interfluat non totam cooperiat. Goclen. disputat. 8. libr. 3. Conimb. super caput 14. lib. 2. de Cælo, q. 3. artic. 2.

50. De sapore & odore Aqua vario, hinc etiam quaritur. Nos qualitatum hanc varietatem ex terra meatibus, per quos
aqua

aqua veluti per canales decurrit, oriri putamus, Vide Conimb. in lib. Meteor. Arist. Tract. 10. cap. 2. Mag. d. 1. Et haec etiam de Aqua.

51. Terra est Elementum siccissimum, frigidum, & gravissimum. Ex Aristot. Magirus dicti libri cap. 5. Goclen. lib. 3. Disput. 11.

52. Terram esse sicciozem Igni diximus supra: Quod autem ignis magis siccatur quam terra, id non facit sua siccitate, sed calore potius, dum exhaurit omnem humiditatem, eamque absorbit. Magirus d. 1. in comment.

53. Siccitas etiam terra probatur: quia affusum humorem omnem combibens suapte natura exsiccat. Sed teste Aristotele, lib. 2. de gen. & corr. t. 49. inquit quis ad compactiorem & continuationem partium requiritur humiditas. Ergo terra humida. Sciendum itaque non loqui Arist. simpliciter de Elementorum continuatione (aliis enim omnia Elementa essent humida) sed ad mistorum partes continuandas & conjungendas humorem esse necessarium. Magirus d. 1.

54. Caeterum Terram frigidam statuimus, sed non adeo frigidam ut nullum congenitum habeat calorem. Hunc enim fertilitas ejus & Metalla, quae sub Terra sine connato Terra calore produci non possent, arguunt. Goclen. disput. 11. lib. 3. Conimb. Tract. 1. Meteor. cap. 2. Dissentit Keckerman. in Syst. Physic. lib. 2. c. 10.

55. Gravissimum Elementum esse Terram prater experientiam docet Philosophus lib. 2. de Caelo cap. 3. Conimb. in explanatione hujus capituli.

56. De situ & quiete Terra non levis inter Physicos contentio. Nos cum Aristotel. & communi rum Physiologorum, tum Mathematicorum Schola asserimus Terram in Medio Mundi quiescere. Vide Aristot. lib. 2. de Caelo cap. 13.

B a

57. Habet

57. Habet autem Terra quod immobilis in medio jacet, à
jussione & Verbo Dei. Quemadmodum enim aquarum Colle-
ctionem scriptura sacra soli Deo adscribit, sic & ista Terra
confirmatio in plerisque scripturarum locis invenitur Deo at-
tributa. Vide Lamber. Danaum fusus de his in Physi. Christ.
tract. 3. diei cap. 26. Titelmann. lib. 7. physi. c. 6. Conimb.
supra cap. 14. lib. 2. de Cælo.

58. Ultimò hic etiam quæri solet, cum terra rotunda
dicatur, annon plurimi Montes altissimi, valles plurimæ, Spe-
luncarum concavitates, rotunditatem Terra vitare vi-
deantur?

59. Observandum hic Terra rotunditatem dupliciter
accipi, uno modo, pro Rotunditate perfecta & ad Mathemati-
cam subtilitatem exquisita; altero, pro ea quæ convenit corpori,
depressiones & eminentias habenti, quæ tamen præ illius Magni-
tudine nihil momenti habent, atq; adeò non censentur ejus ro-
tunditatem impedire. Conimb. super cap. 14. lib. 2. de Cælo,
quest. 3. artic. 2.

60. Si priori modo de Terra loquamur non erit ita per-
fectè rotunda, cum minus distent Valles à centro Mundi quàm
montes; Si posteriori, dicendum illam sphericæ esse figuræ, &
altissimos etiam montes, si cum toto terra globo conferantur, vix
ullius esse estimationis, sicut clavus rotæ infixus ejus rotundi-
tatem minimè vitiat. Magir, lib. 13. cap. 5. Titelman. lib. 7.
cap. 7.

61. Hæc etiam de Terra paucis disseruisse sufficiant. Aliæ
hujus subtilitates & divisiones, quibus singula mundi partes
minutè exactèq; distribuuntur, apud Geographos & Topogra-
phos querantur; quia neq; hujus nostri sunt instituti, neq; ejus,
quam affectavimus, brevitatis.



ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

*Talpam habere oculos affirmamus ex
Aristotole libr. 3. de Anim. cap. 1. t. 131.
Φαίνεται γὰρ ἡ ἀσπίδαξ, ὑπὸ τὸ δέρμα ἔχουσα τοὺς ὀφθαλμούς.*

II.

*In Ægypto planè nullas dari pluvias
videtur esse contra rationem, & experien-
tiam.*

III.

*Non inveniuntur Masculinitas, fæmi-
nitasq; in ulla planta conjunctæ, & si hoc
ita esset, tùm planta animali esset perfe-
ctior.*

IV.

*Montes fuerunt ante diluuium, & à
DEO Opt. Max. in prima creatione rerum
omnium creati.*

Pigmei

*Pigmei non sunt fabula, sed certè genus
tùm hominum, tum etiam equorum, pusil-
lum, deguntq; in cavernis, unde περιόδοται
sunt ἡγοῦν τὴν βίον, Aristot. lib. 8. Hist. anim.
cap. 12. An verò pugnent circa paludes Æ-
gypto superiores unde Nilus profluit, cum
Gruibus, id Aristoteles non dicit.*

Soli Deo Gloria.



HUMANISSIMO, DOCTISSIMO,

Dn. Respondenti,

Populari Amico.

DE ELEMENTIS publicè disputanti.

Res praeclara quidem, positus in faenore num-
mis

Mirari fundos; fragili sed munere gaudes

Fortu-

Fortuna, dives, fors mox aduersa recurrit
Detrudensq; loco Cræsum, Irum sede reponit;
Res præclara quidem, majorum stemmate
clarum,


Et genus, & proavos à seclis posse referre
Et laus hac vana est. Potior qua surgit ab usu
Doctrina vario: non hujus gloria inanis.
Æternum manet & vivit post fata superstes
Solaq; præ cunctis veneranda scientia fulget.

Hujus delicijs, CLAVsingi docte, teneris,
Dum tibi mens doctam Musarum intrare
palastram

Atq; Sophistarum laqueos dissolvere gaudes.
Matte igitur, præsens subeas laudabile captum,
Nodos arte feces: meditatum perface cursum,
Hinc tibi surget honos solidoq; labore perenne
Nomē; Musarum cultori haut præmia desunt.

THEODORUS VARMEJER
Osnaburgâ VVestphalus.







ΠΑΡΕΡΓΑ
I.

Talpam habere oculos aff
Aristotole libr. 3. de Anim.
Φαίνεται καὶ ἡ ἀσπάλαξ, ὑπὸ τὸ δέρμα
ταλμοῦς.

II.


In Ægypto planè nullas
videtur esse contra rationem
tiam.

III.

Non inveniuntur Mascula
ninitasq; in ulla planta conjunc
itè esset, tum planta animal
ctior.

IV.

Montes fuerunt ante dil
DEo Opt. Max. in prima cre
omnium creati.



ex
31.
φ-
ias
en-
mi-
hoc
rfe-
à
rum
mai